



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Instrvctio R. P. Bartholomæi Riccii Societatis Iesv
Theologi De Modo Recte Meditandi De Rebus Divinis**

Ricci, Bartolomeo

Mogvntiæ, 1605

2 De collectione animi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59608](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59608)

cavit. Dicitur enim causa, quia humiditatem vel viriditatem, quæ oberant inflammationi, ligno subtrahit. Præparationes ergo quoniam animam nostram disponunt, remouenda impediméta ad rectè orandum, merito dicuntur causa bonæ orationis.

HACTENVS, nisi fallor, satis tibi persuasi, vt credas præparationem oraturo vel meditaturo omnino esse necessariam: iam restat, vt Præparationes omnes diuidamus in tres classes. Prima sit earum, quæ dicuntur *Remota*, ita dictæ, quod longe ante orationem sint vsurpandæ, & quasi è longinquo. Secunda sit earum, quæ vocantur *Propinqua*, vel *Vicinæ*, quia paululum antecedunt orandi tempus. Postrema, est earum quæ dicuntur *Immediatæ*, quia immediatè actum orandi præcedunt.

De collectione animi.

C A P. I I.

ADVERTERE te cupio, me non agere hoc loco de omni collectionis genere, sed tantum de collectione animi: atque ideo suspicari non debes me ad rectè meditando postulare, vt in eremum aliquam te abdas, aut cubiculo perpetuo includas. Quamuis enim corporalis solitudo multū
D 5 ad bene

Lib. 3.
mor. c. 12.

ad bene contemplandum proficit, non est tamen ipsa per se sufficiens aut necessaria, quemadmodum his verbis pulcherrimis B. GREGORIVS exponit. Quid enim prodest solitudo corporis, si solitudo defuerit cordis? Qui enim corpore remotus vult, sed tumultibus conuersationis humana terrenorum desideriorum cogitationibus se inserit, non est in solitudine. si prematur vero aliquis popularibus turbis, & tamen nullos curarum tumultus in corde patitur, non est in Urbe. Itaque bene conuersantibus primum solitudo mentis tribuitur. Gaudeant igitur qui ratione vocationis, officii, vel propositi conuersantur cum proximis, ut eos iuuent, si id faciāt eo modo quae dictus sanctus indicauit, si enim cor collectum sit, omnia impedimēta remouentur.

COLLECTIONEM autem cordis, etsi multa vitia vel imminuere, vel etiam prorsus tollere possint, ego tamen duo tantum hic ob oculos ponam, quae sunt principalia, & quasi capita multorum aliorū. Alterum est *curiositas*. alterum verò appellabimus vitium superflue se occupandi in negotiis parui momenti. Incipiamus à curiositate, quae non est aliud quam vitiosa cupiditas, vel intellectus vel sensuum beneficio aliqua cognoscendi. Cuius noxia peruersitas

DOD

MEDITANDI PARS I. 59

non solum cōsistit in ipsis rebus, sed etiam in modo earum cognoscendo. Verumque enim perniciem afferre potest homini spiritali, eo quod prorsus orationis studio aduersentur. Oratio siquidem postulat, vt anima prorsus intra se sit collecta, sicut inuere videtur Christus Dominus noster, quando apud S. Matthæum dicit *Tu autem Matt. 6. cum oraueris, intra eubiculum tuum, & clauso ostio, ora patrem tuum.* Curiositas verò econtrario impellit animam, vt foras prodeat. nam, vt dictum est, ipsa est quidam appetitus vel cupiditas. Appetitus autem proprium est hominem transferre ad rem concupitam vel amatā, conuenienter dicto AVGVSTINI. *Animus magis est, vbi amat, quā vbi animat.*

VNDE, sicut fieri non potest, vt vno eodemq; tempore, res aliqua tota permaneat intra se, & tota euagetur foris. sic fieri non potest vt homo curiosus recte queat vacare orationi: vel fieri homo orandi studiosus. Rogentur ipsi, num res ita se habeat, an secus, & meæ assertioni fidem facient, si parere veritati nolint, & ingenuè fatebuntur se maiorem temporis partem rerum nouarum cognoscendarum studio impendere, vti prolixius declarabimus, cum de distractione agemus, AT

AT excipiet forte curiosus, sciendi cupiditatem homini esse naturalem, & ab ortu congenitam. Cui respondeo, quemadmodum conuenit hominem spirituales moderari naturam suam in aliis excessibus, sic rationi cōsentaneum esse, vt faciat quoque in curiositate. Nam, vt verum dicam, quæ rogo conuentio est statui spirituali, cum cupiditate cognoscendi, rerum bellicarum euentus, statuum variorum conditiones, & id genus alia? Respondebit fortassis, notitiam illam sibi prodesse, vt in orationibus suis Deo impensius mundi necessitates commendet: sed miser non aduertit, suæ diuinæ maiestati multo amplius placere, vt illas generatim, & non speciatim anxia illa curiositate cognitas sibi commendet. Neque ad confirmandam opinionem suam niti potest illo Aristotelis dicto. *Naturâ nec laudabiles, nec vituperabiles sumus.* id enim intelligitur de rebus purè naturalibus à libero arbitrio non pendentibus, vt est appetitus edendi cum fame; & bibendi, cum siti laboramus. At sciendi appetitus ita naturalis est, vt totus tamen sit rationi & libero arbitrio subiectus, ac proinde vitiosus, quoties cum ratione non consentit. Proripe te ergò quamprimum ex huius vitii ba-

tii ba-

rii barathro, si ingredi illud cœpisti. Similis prorsus est hæc infirmitas spiritualis, hydropi corporali, qui in homine hoc auget magis cupiditatem bibendi, quo plus biberit, donec eum in sepulcrum protrudat.

SVPEREST vt ad aliorum vitiū veniamus, nempe ad inordinatum affectum occupandi se in externis negotiis, maximè si ad statum meditatoris non pertineant, vt religiosi, si sint negotia secularia. *Nemo enim*, inquit Apostolus in secunda epistola ad Timotheum, *militans Deo implicat se* 2. Tim. 2. *negotiis secularibus.* Quod autem Deo non placeat, vt serui sui misceant se temporali- bus negotiis, declaratum est tempore Machabæorum in conflictu sacerdotum, qui quoniam nullo adhibito Dei consilio bellicis rebus se miscuerunt, morte occubuerunt. *In die illa*, inquit textus, *ceciderunt sa-* 1. Mac. 5. *cerdotes in bello, dum volunt fortiter facere, dum sine consilio exeunt in prælium.* Sine consilio ait, quia perpendere debebant, in bello Sacerdotum esse orare, & belligerandi partes relinquere militibus. Potest igitur error committi in hoc genere, vel in qualitate negotiorum, quæ homo contra sui status rationes suscipit, vel in modo negotia etiam proprii status tractandi, vt cum in

his tra-

iis tractandis nimis immoderatus affectus, siue internus, siue externus interuenit, nulla habita ratione personarum, locorum & temporum Quod si quis purgandisui causa obiciat Christi Domini exemplum, qui totos dies iuuandis proximis impendebat, is scire debet, illas occupationes non fuisse huius generis id est, seculares. nam cum ali-

Luc. 12.

quando quidam de turba, ut est apud Lucã, rogarent Christum, *Magister dic fratri meo, ut diuidat mecum hereditatem*, respondit. *Homo quis me constituit iudicem, aut diuisorem super vos?* Deinde scire debet, quod crebro post diurnos labores totas noctes in oratione pernoctarit. Denique fortassis isti occupationum superuacanearum amatores, quoniam diffiteri nequeunt orationes suas saepe vel omnino interrumpi, vel multitudi-

2. Cor. 5.

ne euagationum mentis, dum de suis negotiis solliciti sunt, plus a quo turbari, audebunt cum B. Paulo dicere illud quod est in altera epistola ad Corinthios. *Sobrii sumus uobis. Caritas enim Dei superget nos. Sed meminisse debent illius sententiæ Christi*

Mat. 6.

apud Matthæum. *Quid prodest homini, si conuersum mundum lucretur, anima uero sua detrimentum patietur?*

CATERVM glorificandus est D E V S O. M. n. i. s. s. i. m. u. s.
quod

quod ii, qui pro ratione instituti sui salutē
proximi procurandæ inuigilant, idq; con-
uenienter Regulæ suæ & voluntati superio-
rum, nullam iacturam animæ, & fructus
spiritualis faciant, experianturq; quod apud
S. Marcum Dominus noster promissit Apo-
stolis. *Et mortiferum si quid biberint, non eis
nocebit.*

De tranquillitate mentis.

CAPVT III.

QVANTA necessitas sit tranquillitatis
mentis. demonstrat alicubi B. GREGO-
RIUS hac eleganti similitudine. Sicut ho-
mo quando effigiem suam in vase aqua
pleno intueri vult, perfecte eam intuetur,
cum aqua est immota, nō autem si mouea-
tur, imō si magno impetu vas concutiatur,
nihil nisi monstruosum ob specierum cōfu-
sionē apparet, sic mens nostra, quādo pas-
sionibus multis agitata est, in meditatione
rerum diuinarum, aciem defigere non pō-
test in earum pulchritudinem. Quamuis
autem omnibus passionibus commune sit
tranquillitatem mentis impedire, tamen
crebrius, & fortius id faciunt quatuor ea-
rum. Amor, ira, timor & tristitia. Qui-
bus vt facilius occurrere queas, mederique,
uia